Schillbach



Zu der öffentlichen

Prüfung und Redeübung

der Zöglinge

des

Königl. Friedrich-Wilhelms-Gymnasiums,

welche am

14. März 1856

veranstaltet werden soll,

ladet ehrerbietigst ein

Dr. Friedrich Gottlob Starke,

Professor und Director, Ritter des rothen Adlerordens vierter Klasse.

Inhalt:

1. De Thespiarum oppidi situ ac finibus. Scripsit Richard Schillbach, Dr. phil.
2. Jahresbericht vom Director.

Neu-Ruppin.

Gedruckt in der Gustav Kühn'schen Buchdruckerei.

1856.

DE THESPIARUM OPPIDI SITU

AC FINIBUS.

SCRIPSIT

RICHARD SCHILLBACH,

DR. PHIL.

Eorum, qui Graecorum literis operam dederunt, historiam pertractaverunt, artis monumenta cognoverunt vel inspexerunt, quis est, quin afficiatur solum, verum etiam teneatur summa admiratione populi graeci. Qui quidem eam non excitavit sibi ingentibus opibus, magnis ac multis exercitibus, quibus regna potentia subjiceret imperio, et terras longe lateque patentes adjungeret finibus suis; — terra quam incoluit, haud ita magna opulensve, populus ipse, siquidem alias civitates respexeris, non ita praecellens hominum multitudine; at celebris fuit illa terra viris, qui amore patriae, fortitudine, laborum periculorumque contemptione et peritia rei militaris facta perpetraverunt summa gloria digna; qui ingenio ac sapientia facti sunt praeceptores ac duces posteritati usque ad nostrum tempus; non pyramides aut similia monumenta ingentia vastaque in Graecia stuporem nobis movent, at opera arte admirabili facta et tanta pulchritudine, ut vix nostri artifices eam consequi possint, Graecos nobilitaverunt, aeternae gloriae commendaverunt. Unde factum est, ut multa Graeciae oppida majoris momenti fuerint et pluris habenda, quam regnorum magnorum totae provinciae. Ac quid nunc? Non jam invenies in Graecia tales viros claros, non jam talia oppida florentia; — Graeciae solum non injuria dixeris magnum sepulcrum, in quo nonnullae tantum res adhuc memoriam praeteriti temporis gloriosi revocant. At sicut hominum mortuorum, quorum virtutem et beneficia grata memoria persequimur, quos magni facimus, sepulcra visimus eaque, quibus vixerunt, loca; sic animum ac studium libenter conferimus in ea loca pervestiganda atque cognoscenda, in quibus veteris Graeciae gloriam sepultam scimus.

In eorum vero oppidorum graecorum numero, quorum nomen servemus et celebremus, jure habendae sunt Thespiae. Quis enim eas ignorat, quarum cives apud Thermopylas a Leonida, quamvis jam a Persis circumvento ipsisque certam mortem demonstrante [1]), recedere noluerunt; qui postea cum Plataeensibus soli Boeotorum contra Persarum innumerabiles copias patriam adjuvare sunt ausi; quis eas ignorat, Musarum dilectam sedem, prope quam in Helicone monte lucus sacer fuit cum Aganippe et Hippocrene fontibus clarissimis? Praeterea cultum Cupidinis Thespias olim celeberrimas reddidisse satis notum est.

Ea igitur loca, quibus Thespiae positae fuerunt, perlustrare ac perquirere in animo nunc mihi est.

In vetere descriptione orbis terrarum, quam vulgo Scymno Chio [2]) vindicant, legimus Boeotiam tribus adjacere maribus; eorum unum ad Thessaliam et Macedoniam versus patere, alterum ad insulas graecas et Aegyptum, tertium ad Siciliam et Hadriam versus spectare. Atque huic, quod

---

1) Herod. VII. 222.

2) Anonymi (vulgo Scymni Chii) descriptio orbis. vers. 488 ss. cf. Geogr. min. ed. Carl Müller. Firmin-Didot. Paris 1855.

vulgo mare Crissaeum sive Corinthium appellatur, adjacent fines Thespiensium. Quorum oppidum unum erat ex Boeotiae oppidis, quae regia potestate aliquo tempore post bellum Trojanum abrogata communi sese conjunxerant foedere et inde liberae civitatis forma utebantur. Quum vero nobis proditum sit, inter ea oppida saepissime dissensiones atque dissidias intercessisse, quae ad commutandam vel deprimendam atque delendam modo hanc modo illam rempublicam pertinerent, facile intelligitur, et numerum oppidorum foedere junctorum et fines, quum aliorum, tum Thespiensium non eosdem semper nec certos fuisse. Etenim Thespiae in multo majores opes et auctoritatem crevit, postquam Thebarum potentia superba diminuta vel fracta est. Quamvis igitur non certe definire possim, non tamen nimis a vero aberrare me existimo hos fines agri Thespiensis constituentem. Jam compertum habemus, sub meridie Thespiensium fines attingere mare Crissaeum sive Corinthium; ibique praeterea ad Cithaeronem montem et Megarenses pertinent; sub occasu vero in confinio Phocensium Thespiensiumque altissime sese extollit Helicon mons, qui sub septentrione partem non excelsam tam longe porrigit orientem versus, ut sicut ex illis duabus partibus et hic quoque inter Thespienses et Haliartios Thebanosque natura sint fines constituti. Sub occasu autem non tam firmi sunt termini, namque colles leniter acclives neque ita alti, ab Helicone exeuntes, humilibus Cithaeronis, qui objecti sunt, saltibus occurrunt et campis planis et paulo latius patentibus spatium inter se relinquunt. At hoc tamen statui potest, Thespiensium fines ea ex parte desinere in agrum Thebanorum et Plataeensium.

Finibus igitur, quoad ejus fieri potuit, circumscriptis locorum naturam explorabimus. Jam supra memoravi, Heliconis et Cithaeronis saltus in Thespiensium agro coire, Cithaeronis quidem, qui in Corinthium mare prominet, exigua ex parte; maximam vero partem Helicon ejus regionis naturam ac formam efficit. Is enim mons quum altissimus sit et plurimum anni tempus nivem in cacuminibus habeat et ejus juga praeter ceteros Graeciae montes [3]) silvis sint tecta, facit, ut innumerabiles fontes et rivi ex illis profluant, in valles humum frugiferam deducant, campos uberrime irrigent vel passim etiam paludosos reddant. Omnino Helicon, qui sub occasu Parnasso, monti alto et maxime declivi, objectus est ab eoque separatur Platania flumine, sub septentrione in planitiem, quam Cephissus flumen perfluit et lacus Copais maxima ex parte contegit, satis magna declivitate redit, orientem versus a Cithaerone Oeroë, parvo fluvio, dividitur, et sub meridie Corinthium mare alte prospicit, quum compluribus ex partibus, non tamen ex serie vel continuatione montium, constet, quae et olim et nunc singulis nominibus appellantur, in Thespiensium finibus tres potissimum partes natura inter se discrepantes habet. Quarum prima sub occassu usque ad mare pertinens altissima [4]), maxime abrupta et invia est. Tanta autem acclivitate et asperitate sunt ista loca, ut ne florentibus quidem Boeotorum rebus publicis frequentiora et expeditiora fuerint, nunc vero vix incolarum quis accedat ea [5]).

Ex his locis inviis atque desertis inter septentrionem et orientem versus proficiscenti iter intercipit vallis longa et praealta decurrensque in orientem versus, atque haec duas Heliconis montis partes separat. Nomen autem traxit a Zagora, vico nunc ibi posito [6]); continetur sub meridie longo jugo montis eodem atque vici nomine et eadem ferme altitudine, qua altissimum, jam supra me-

---

[3]) Pausaniae descript. Graeciae l. IX. 28. (763 ad fin.)

[4]) Altitudine enim est circiter quinque millium ducentorum quinquaginta pedum, cf. tabul. geogr. Parisiensem, ubi eam appellatam invenies nomine recenti Palaeo-vonna (veteres eam non singulari nomine appellavisse videntur).

[5]) Xenophont. Hellen. VI. 4. 3. L. Ross. Königs-Reisen. II. 195 s.

[6]) W. Gell, Itinerary of Greece p. 122. There is a village called Zagora in the pass. Ross scribit „Zagará.“ Cf. etiam tabul. geogr. parisiens.

moratum Heliconis verticem diximus esse. Etiam sub septentrione surgunt montes magna acclivitate Libethrius et Tilphosius, qui latius in septentrionem porrecti lacum Copaidem attingunt et tenuem humilioremque saltum orientem versus Thebas usque protendunt. Illa autem vallis et juga, tota denique regio maxime excellit amoenitate; nam quamvis rupes ex valle fertili, personante fluvii multorumque rivorum murmure difficillimae sint transitu, tamen amoenissimas formas prae se ferunt, et tectae sunt frondosis umbrosisque silvis, ubi myrtorum densi frutices et herbae floresque odores suaves spargunt [7]), ita ut haec regio jure Musis, mitibus deabus, illa contra deserta abruptaque Dionyso ejusque comitibus divino furore excitatis tributa videatur esse. In jugo haud procul a vico Zagora meridiem versus W. Gell tres fontes reperit (*τρία πηγάδια*); quorum unus frigore maxime praestans (nunc *κρύο πηγάδι*) fons Hippocrene, ut veteres appellabant, putatur esse [8]). Illum a Bellerophontis equo apertum esse ungula terram percutiente et inde nomen accepisse, fama apud veteres erat. Ex illo loco orientem versus progredienti transeundum est jugum maxime impeditum et periculosum; eo autem superato Musarum sacer lucus te excipit, distans ab Hippocrene ferme viginti stadia. Nunc ibi sub densis fruticibus lapides scissi disjectique, quorum nonnulli inscriptiones antiquas prae se ferunt, jacent, — olim optimorum clarissimorumque artificum Lysippi, Myronis aliorum opera aptis justisque intervallis disposita exstabant, ut praetereuntes mirifice delectarentur et locorum nemorisque amoenitate et artificiosis operibus. Ibi enim conspiciebantur Musarum signa, Apollinis et Mercurii, de lyra inter se litigantium, atque Bacchi seu Dionysi simulacrum; tum Hesiodi et Orphei Linique vatum praeclarorum statuae, itemque Thamyridis, jam tum obcaecati, lyra humi adjacente, sicut is vates, quem Musas cantu vincere conatum, sed victum dicebant esse, pictus erat in Lesches Delphicae laeva parte [9]). Praeterea ibi fuerunt Sacadae, clari tibicinis Argivi, Arionis Methymnaei, delphino insidentis, statuae. Porro proxime Aganippam, fontem Musis sacrum, simulacrum Euphemes, Musarum nutricis, positum erat. Quin etiam Arsinoës [10]), Ptolemaei sororis simulque uxoris, statua eo in luco collocata fuisse fertur. Ibi etiam tripodes dicati servabantur, quorum antiquissimum Hesiodus, quum ex certaminibus festis, Chalcide institutis, carminibus suis superior discessisset, tripodem praemii loco ferens in Musarum luco consecrasse dicitur. Atque ea omnia hanc quoque ob causam instituta fuerunt, quod illis locis dies festi Musea, ut appellabantur, et Erotidia quinto quoque anno magno cum apparatu ac studio celebrabantur; et tanta fuit eorum auctoritas et victorum laus, ut qui superiores ex certaminibus discessissent, eorum nomina lapidibus sint incisa sicut Olympionicarum [11]). Quibus ex rebus intelligitur, quanta claritate et celebritate sanctitateque is locus fuerit, quam religiose Musae cultae fuerint. Neque vero illa tantum juga, quae sub meridie in vallem redeunt, etiam ea, quae septentrionem versus ex eadem valle nascuntur, Libethrii et Tilphosii juga, Musis consecrata erant. Namque in Libethrio monte, qui Pausania teste quadraginta fere stadia distabat Coronea, haud procul a Libethriade et Petra fontibus Musarum et Nympharum cognomine Libethriarum simulacra erant posita [12]).

Jam supra commemoravi, per vallem, quae dividit meridianam Heliconis partem a septentrionali, fluvium in orientem versus fluere; atque hic idem fluvius tertiae quoque sive orientali

---

7) Praeterea incolae olim narrabant, earum, quae ibi gignantur herbae, nullas homini afferre mortem, et serpentum virus, haud ita validum, illis gustatis infirmari. cf. Pausan. IX. 28. (764).

8) Ross. K. R. II. 197. Gell. Itin. p. 122.

9) Pausan. X. 30. 4. — IX. 30. 2, 3. Hom. Il. *β*. 595 ss.

10) Pausan. IX. 31. 1. cf. adnotat. in ed. Sibelis; Catull. 66. 54. Arsinoën, Ptolemaei Philadelphi uxorem, artifex finxerat struthiocamelo insidentem.

11) Boeckh. Corp. inscr. I. no. 1585. p. 767.

12) Pausan. IX. 34. 3. cf. Ross. K. R. I. 33.

Heliconis parti fines facit. Effusus enim ex illa valle secundum montium radices inter orientem et meridiem cursum dirigit, tum vero non ita magnum spatium perlapsus angulo acuto effecto inter meridiem et occasum ad mare tendit et ita etiam primam a tertia parte sejungit. Praeterea sub septentrione quoque haec tertia pars continetur alio flumine et planitie. Juga autem hujus regionis non magna altitudine sunt; ea potius dicas colles redeuntes in apertiores et patentiores campos. Paulo majore tamen altitudine et acclivitate est is montium tractus, qui Oeroë fluvio interlabente Cithaeroni occurrit atque imprimis qui Korombile nunc appellatus altum promontorium in mare porrigit [13]).

Quum autem omnis, quam perlustravimus, regio montibus, et iis maximam partem silvosis, sit contecta, haud mirum, eam fontibus quoque et rivis abundare. Majora enim flumina propter maris vicinitatem vix effici possunt. Sed et fontes, rivos, parvosque fluvios investigabimus. De Hippocrene et Aganippe sacris fontibus, non multum inter se distantibus, jam memoratum est. Eorum aquae in vallem propinquam effusae miscentur fluvio, quem undique rivi et fontes petunt. Non injuria suspicamur eum fluvium esse Permessum sive Termessum; nam quamvis Strabo duobus locis disertissime declaret, Permessum [14]) Haliarto oppido vicinum et cum Olmio junctum in Copaidem lacum influere, tamen huic auctori hac in re minorem dabimus fidem, quum eum ipsum illa loca non perquisivisse constet, et loci natura recentiorumque cognitiones cum eo discrepent. Permessum igitur appellamus eum fluvium, cujus cursum jam accuratius indicavimus. Idque Pausanias quoque probare videtur; hic enim: *Ἐν Ἑλικῶνι δέ*, inquit, *πρὸς τὸ ἄλσος ἰόντι τῶν Μουσῶν ἐν ἀριστερᾷ μὲν ἡ Ἀγανίππη πηγή· θυγατέρα δὲ εἶναι τὴν Ἀγανίππην τοῦ Περμησσοῦ λέγουσι· ῥεῖ δὲ καὶ οὗτος ὁ Περμησσὸς περὶ τὸν Ἑλικῶνα* [15]); atque haec posteriora verba maxime conveniunt iis, quae de cursu et flexu Permessi supra sunt exposita. Praeterea Aganippe Permessi dicitur filia, id quod fontem cum fluvio junctum esse indicare videtur ita, ut Aganippe Permessi sit fons, vel Aganippes aquae effundantur in alveum Permessi, qui magnitudine et vi superior paterna quasi caritate filiam recipiat et servet. Ex his autem locis fluvio ad Copaidem lacum exitus non est. Haud dubie itemtidem Olmius ex vicinis jugis (fortasse ex septentrionalibus, unde profluit rivus) in Permessum erupit. Quibus addendus est Lamus fluvius, cujus Pausanias solus mentionem facit his usus verbis [16]): *Ἐπὶ δὲ ἄκρᾳ τῇ κορυφῇ τοῦ Ἑλικῶνος ποταμὸς οὐ μέγας ἐστὶν ὁ Λάμος.* Quamvis ex his verbis vix aliquid certi colligi et statui possit, tamen fortasse non injuria suspicamur, Lamum prope Musarum lucum decurrere ex jugo illic maxime edito, et meridiem versus praeter vicum desertum, cui Tateza sive Tatazi recens nomen est, labentem tandem in Permessum influere. Ea autem loca, quibus Permessum attingit, sunt paludosa sicut ejus ipsius vallis; quibuscum Pausaniae sequentia verba consentiunt: *Θεσπιέων δὲ ἐν τῇ γῇ Δοναχών ἐστιν ὀνομαζόμενος.* Inde vero non elici posse mihi videtur Donaconem fuisse vicum, ut quidam putaverunt [17]), sed colligi potius, Donaconem significare locum vel vallem paludosam atque arundinibus obsitam [18]). Etiam in ea vicinia fuit Narcissi fons, et quum Narcissus a Pausania et Eustathio [19]) dicatur fuisse Thespiensis, consen-

---

13) Gell Itin. p. 114. .... on the south the rugged and lofty pyramidal mountain Korombile or Koromila. Altitudo ejus est circiter duorum millium et septingentorum pedum.

14) Strabo. IX. 407. c. 2, §. 19—411. c. 2, §. 30. Olmius quoque in numero fluviorum Musis sacrorum est. Hesiod. Theog. 5. s. Virg. Bucol. VI., 65. ss.

15) Pausan. IX. c. 29, 3. 766. cf. Serv. ad Virgil. Bucol. X. 12, ubi est: Callimachus Aganippen fontem esse dicit Permessi fluminis.

16) Pausan. IX. 31, 6. 772.

17) Gell. Itin. p. 118.

18) O. Müller, Orchomen. p. 42.

19) Pausan. l. c. Eustath. Il. β. p. 266, 7. *ἱστορεῖται δὲ Θεσπιέα εἶναι τὸν Νάρκισσον.*

taneum est, quod W. Gell [20]) explicat, qui prope vicum montanum, cui Neo-Chorio nomen nunc est, Thespiarum reliquiis vicinum, reperisse se censet illum fontem clarum. Ceterum ea loca humida vernali tempore, in quem mutatus fertur pulcher et sui ipse amans adolescens, narcisso flore abundare peregrinatores narrant. Jam vero etiam illius jugi, quod sub septentrione ex secunda Heliconis parte Thebas usque pertinet, radices orientem versus fluvius sequitur, cujus ne Pausanias quidem nec Strabo faciunt mentionem. Commemoratur tamen a Suida et Hesychio. Neque de eo dubitatio vix potest esse quum nomen ipsum indicet locum, quo fluat. Thespius enim vocatur, ejusque fontes proxime Thespias reperiuntur in planitie maxime aquosa, unde aquae collectae fluvium efficientes primum inter declives colles orientem versus defluunt et tum Ismeno fluvio in Thebana planitie mixtae in lacum Hylicum exeunt. Recenti is fluvius nomine vocatur Kannavari.

Hoc loco non praetermitto Asopum fluvium, qui ex collibus paulatim in apertiores campos redeuntibus atque inter orientem et meridiem vergentibus defluit, et viam, qua Plataeis Thebas contenditur, post magnos imbres vel hiemali vernalique tempore difficillimam ingressu reddit [21]).

Jam vero omnis hujus regionis natura perscripta ad alia transeamus. Etenim reliquum est, ut, quae olim illic fuerunt, oppida vel vicos exploremus atque cognoscamus. A Thespiis autem ipsis, oppido clarissimo memoriaque dignissimo, capite ejus regionis, sit initium. Qua quidem in re Pausania optime utemur duce atque interprete, quum nemo veterum pari diligentia perscripserit ista loca.

Sita erat illa Musarum Cupidinisque jucunda ac dilecta sedes in plano latius patente, aquoso, fertili [22]); neque jam in ambiguo sumus, ubi ejus ruinae reperiantur. Sub septentrione enim planitiem, quam modo commemoravi, colles continent non tam alti, quam acclives, quorum summae partes coëunt in altiorem, sed non magnam, planitiem [23]). Nunc ibi positi sunt vici Kaskaveli et Erimo-Kastron, paulum inter se distantes, quorum huic, qui occidentem versus spectat, proxime in conspectu Thespiarum ruinae sunt cum toto illo plano circa Thespias patente, olim maxime culto, nunc ne silvestribus quidem arboribus ornato. Oppidum autem celeberrimum illud pulcherrimumque, diu florens (ceteris jam deletis) quum opibus tum sanctitate, — nunc dirutum ac desertum, paene exstinctum est. Ubi enim sunt illa templa magnifica, Musis, Herculi, Victoriae, aliis consecrata, ubi tot signa deorum et illustrium virorum, ut aheneum illud Hesiodi, quae fere omnia a claris artificibus elaborata forum, theatrum, templa et vias exornaverunt? Remota aut abscondita, aut fracta disjectaque. Indignum illa celebritate nunc conspicitur sepulcrum (ut ita dicam) ejus oppidi, quod Corinna poëtria ita versu praedicat: *Θέσπια καλλιγένεθλε, φιλόξενε, μουσοφίλητε* [24]).

Pausanias, qui a Cabirorum templo, prope Thebas posito, Thespias pervenit [25]) in ipso oppido praeter multa signa praeclara templaque et theatrum nos praeterducit, sed tamen non ita res enarrat, ut inde perspicuam locorum descriptionem habeamus, et hanc lineis illustrare possimus; huc accedit, quod a peregrinatoribus nostrae aetatis parum ea loca explorata sint, aut explorari potuerint; nam Dodwell [26]) narrat, se neque theatrum neque forum indagare potuisse; moles disjectae scissaeque columnae templorum indicant oppidi locum, eaeque item demonstrant, etiam extra muros florentissima civitatis aetate, de qua Strabo loquitur, orientem versus oppidum amplificatum fuisse [27]). Sane non-

---

20) Gell Itin. p. 121.
21) Thucyd. II. 5.
22) Dodwell. Classic. Tour. I. p. 252. ss.
23) W. Gell. Itin. p. 119.
24) Corinnae fragm. 15. cf. Schneidewin delect. poet. graec. p. 436.
25) Pausan. IX. 26. 4. (763).
26) Dodwell. Classic. Tour. I. 253. v. Stackelberg, Gräber der Hellenen. Tab. II. fig. 1.
27) Ross. K. R. I. 20.

nulla artis opera inter ruinas nostris temporibus reperta et protracta sunt, at quae et quot solum etiamnunc condit, quando erit, ut ea in lucem protrahantur? Qui Thespiis quadraginta stadia[28]) in occasum versus ad Heliconem profecti erunt, iis Ascra, Hesiodi domicilium[29]), in conspectu est. Ascra antiquitate quidem illustris (conditam enim eam Hegesinous[30]) canit ab Oeoclo filiisque Aloëi Oto et Ephialta Thracibus, qui primi Musarum cultum illis in locis instituisse dicebantur), sed minime amoena fuit, Hesiodo ipso confirmante. Qui in „Operibus et diebus" hunc vicum miserum et difficilem habitatu et hieme et aestate dicit esse[31]). Pausanias eum locum jam desertum et maximam partem dirutum conspexit. Turris tantum unica exstabat in colle ab summo aequaliter declivi; fortasse eadem est, quae etiamnunc in colle ad dextram objecto, priusquam ad Musarum lucum et vallem pervenitur, jam e longinquo ante oculos est[32]). Apud Pausaniam etiam castelli munitissimi Ceressi nomine[33]) fit mentio, sed id ubi positum fuerit, non accurate declaratur; auctor enim dicit, Thespienses Ceressum confugisse post pugnam Leuctricam Thebanorum potentiam veritos, sed ex eo loco expugnato ab Epaminonda expulsos esse. Attamen non injuria statui potest, Ceressum castellum bis in locis exstructum fuisse, quod Thespienses jure confidere potuerunt, loca montana Heliconis abruptaque sibi plus securitatis praebitura quam quaevis alia. Nam priscis jam temporibus iisdem Thespiensibus, quum Thessali invasissent, id castellum confugio et saluti fuerat. Ross[34]) igitur opinatur, Ceressum ibi positum fuisse, ubi juga Musarum vallem continentia recedant et nunc Palaeopanagia vicus conspiciatur. Sub Helicone alium praeterea vicum firmum situm fuisse Plutarchus testatur nomine Hippotas[35]), sed vix certus ei locus tribui possit, quoniam Plutarchus nihil de eo narrat, nisi inter Thebas et Coroneam eum interfuisse, et a Boeotiis Phoedo Thebano duce dirutum esse. Num in Thespiensium finibus situs fuerit, non constat, eo autem expugnato ager Coronaeis et Thebanis distributus est. Tum Leontarne commemoratur cum fonte ejusdem nominis[36]). Sine dubio is locus jam antiquis temporibus desertus et deletus fuit, certe ignotus plerisque scriptorum posteriorum. Atque hoc constare videtur vicum Leont-arnen esse appellatum, ut haec Arne distingueretur ab aliis eodem nomine appellatis. Nam in Thessalia Arne fuisse proditur[37]), tum Chaeroneae antiquum nomen Arnen fuisse referunt; aliam vero Arnen Boeoticam simul cum Midea oppido Copaide lacu exhaustam esse, Pausanias memorat[38]). Praeterea Arcadiae fontem ejusdem nominis idem scriptor commemorat[39]), qui inde nomen duxerit, quod circa eum agni pasti sint, eorumque in grege Neptunus infans a Rhea matre absconditus et Saturno inscio educatus sit. Itaque Arne omnino locum aut

---

28) Strab. IX. 409. c. 2. §. 25.

29) Hermesianax eleg. cf. Schneidewin, del. poët. eleg. graec. p. 150. — Ephorus ap. Plutarch. De vita et poësi Homeri c. II.

30) Pausan. IX. c. 29. 1. (765).

31) Strab. IX. 409. c. 2. §. 25. Pater Hesiodi, quum Cymas, Aeolidis oppidum, dereliquisset (cf. Ephor. ap. Procl. ad Hesiodi opera et dies p. 142. (Heins.)

νάσσατο δ' ἄγχ' Ἑλικῶνος ὀϊζυρῇ ἐνὶ κώμῃ
Ἄσκρῃ, χεῖμα κακῇ, θέρει ἀργαλέῃ οὐδέποτ' ἐσθλῇ.

cf. Hesiod. op. et d. v. 642.

32) Ross. K. R. I. 20. Gell. Itin. 121.

33) Pausan. IX. 14. 1. (738).

34) Ross. K. R. II. p. 198.

35) Plutarch. amator. narrat. c. IV. .... *πρὸς Ἱππότας εἰσώρμησαν· κώμη δ' ἦν παρὰ τῷ Ἑλικῶνι κειμένη μεταξὺ Θήβης καὶ Κορωνείας.*

36) Eustath. Il. *β.* v. 507. p. 270. cf. Tzetz. ad. Lycophr. Alex. v. 646.

37) Pausan. IX. 40. 3. (793).

38) Paus. IX. 39. 1. (788). Strab. IX. 413. c. 2. §. 25. Ulrichs Reisen und Forschungen p. 246.

39) Pausan. VIII. c. 8, 2.

fontem videtur significare, circum quem oves pascantur. Unde autem vicus ad Heliconem situs Leont-arne dictus sit, fabula ab Eustathio memorata docet, Il. *β*. v. 507. p. 270, 345. Ibi enim est: *ἡ δὲ παρ᾽ ἑτέροις Λεοντάρνη κώμη καὶ αὐτὴ περὶ τὸν Ἑλικῶνα, ἣ κρήνη κληθεῖσα οὕτω διότι Ἀδράστου θύοντός, φασιν, ἐκεῖ λέων τὸν ἄρνα ἥρπασεν.*

Quibus ex locis si meridiem versus progressi erimus, complures vici recentes occurrunt, Neo-Chorio prope Narcissi fontem, Tateza sive Tatatzi, tum Xeronomi sive Xerromais (Exeromaies)[40]) prope fluvium, quem Permessum diximus esse. Ad eum fluvium quum, quae adjacent, loca sint paludosa, eam suspicor fuisse *χώραν*, *Ἑλωπία* quae dicitur[41]). Nam repetamus quod Strabo[42]) explicat hac de re; Helus (Elus) Heleum, Hilesium nomina traxisse *(ἀπὸ τῶν ἑλῶν)* a paludibus, quas ea oppida adjacebant. Fortasse igitur melius scribatur *Ἑλωπία*. Alia Helopia fuit prope Dodonam et in Euboea insula, atque id nomen Strabonem[43]) eodem, quo supra dictum est, modo interpretatum esse invenio. Ad dextram fluvii ripam in colle, qui ab Helicone porrectus planitiei paludosae sub septentrione imminet, vicus nunc positus est major, Dombrena nomine, et in alio colle, haud magno spatio interjecto, Cacosia vicus recens. Quo qui ex illo superiori vico paullisper progressus est, parietinas veteris Thisbes sive Thisbarum[44]) praeterit. Quas W. Gell indagavit Homerum[45]) sequutus, qui Thisben *πολυτρήρωνα* appellat; similiter Statius[46]) scripsit: „Dionaeis avibus circumsona Thisbe."

Et eam columbarum copiam, quae poëtae commemoranda visa erat, etiam W. Gell[47]) animadvertit; in rupibus enim excavatis innumerabiles columbae nidos etiamnunc construunt sicut olim. In planitie autem, quae his vallibus subjecta est et latius patet, Pausania teste[48]) agger validus ductus erat, ut aquarum undique defluentium copia in alteram partem cogeretur, et ut altera pars nimia aqua deducta seri colique posset. Etiam hic nunc quoque exstat; ex magnitudine vero operis et lapidum colligendum est, jam antiquissimis temporibus, sine dubio ab Orchomeniis[49]), illum aggerem jactum esse. Qui quidem agger haud dubie etiam eam ob causam erat ductus et posterioribus temporibus saepius refectus instauratusque, ut expedita omni anni tempestate et facilis sit via ad portum circiter XX stadia ab oppido remotum[50]). In Heliconis jugo quodam vicino etiam Nysa, oppidum priscum[51]), situm fuisse arbitramur. Quod Dionyso sive Baccho erat consecratum; ibi templum celebre, praestans gloria sanctitateque et vetustate quoque, quum ipse deus ab hoc sacro

---

40) Gell. Itin. p. 114.

41) Stephan. Byz. s. v. *Ἑλλωπία .... καὶ χώρα περὶ Θεσπιάς.*

42) Str. IX. 406. c. 2. §. 17.

43) Str. VII. 328. c. 7. §. 10. *Φιλόχορος δέ φησι καὶ τὸν περὶ Δωδώνην τόπον, ὥςπερ τὴν Εὔβοιαν, Ἑλλοπίαν κληθῆναι· καὶ γὰρ Ἡσίοδον οὕτω λέγειν „ἔστι τις Ἑλλοπίη, πολυλήιος ἠδ᾽ εὐλείμων· ἔνθα δὲ Δωδώνη τις ἐπ᾽ ἐσχατιῇ πεπόλισται." οἴονται δέ, φησιν ὁ Ἀπολλόδωρος, ἀπὸ τῶν ἑλῶν τῶν περὶ τὸ ἱερὸν οὕτω καλεῖσθαι.* cf. Eustath. ad Il. *β*. 500. p. 267. 6 ss.

44) Stephan. Byz. s. v. *Θίσβη·* Pausan. IX. 32, 2. (773. s.).

45) Hom. Il. *β*. v. 502. cf. adnot. Enstath. p. 268. 9.

46) Stat. Theb. VII. 262.

47) Gell. Itin. p. 115. s. See also the ruins of the walls and towers of Thisbe and remark the immense numbers of rock pigeons for which the place is celebrated in Homer's catalogue. This circumstance is the more striking, as neither the birds nor rocks, so full of perforations in which they build their nests, are found in any other part of the country.

48) Pausan. IX. 32. 2. (773).

49) Dodwell. Class. tour. I. 258.

50) Gell. Itin. p. 116. Dodwell. l. c. Strabo. (IX. 411. c. 2. §. 28.) Thisben in Thespiensium et Coronaeorum confinio sitam dicit. cf. Stephan. Byz. s. v. *Θίσβη*.

51) Strab. IX. 405 c. 2. §. 14.

loco nomen traxisse videatur (Dionysos enim est Nysae deus), et dei cultus ex eo loco in omnem Boeotiam propagatus esse. Alii Bacchi gratam sedem Nysam in Asiam vel Indiam [52]) removerunt, quum Nysa Boeotiae jam priscis temporibus exstincta esset, ejusque gloria magis evanuisset. Ab aliis tamen Nysae Heliconiae honos suus vindicatur, huc enim spectant Euripidis [53]) versus: *„πόθι Νύσας ἄρα τᾶς θηροτρόφου θυρσοφορεῖς“ „θιάσους, ὦ Διόνυσ᾽, ἢ κορυφαῖς Κωρυκίαις;“* quibus versibus Nysae Heliconiae Corycius, Parnassi mons cum antro, Dionyso sacer adjungitur. Anacreontem quoque hujus Nysae sacra juga, in quibus Bacchae deum choreis coluerint, intellexisse his versibus opinor [54]):

Ἡ τὸν θύρσον ἔχουσ᾽ Ἑλικώνιας, αἵ τε παρ᾽ αὐτὴν
Ξανθίππη, Γλαύκη τ᾽ ἐς χόρον ἐρχόμεναι,
Ἐξ ὄρεος χωροῦσι Διονύσῳ δὲ φέρουσαι
Κισσὸν καὶ σταφυλὴν πίονα καὶ χίμαρον.

Ceterum illi Heliconis parti abditae [55]), desertae et abruptae sicut Cithaeronis jugis bene conveniunt Baccharum furiosae choreae. At tamen, quo loco haec Nysa, sacra Bacchi sedes, olim condita fuerit, quis accurate hoc exploravit, quis unquam explorabit? Relinquamus igitur haec, redeamus Thespias et inde aliam per earum fines ingrediamur viam. Atque primum qua Thespiis Plataeas contenditur, Leuctra oppidum occurrit, non ita quidem magnum [56]), sed clarum ac memorabile propter gravem cladem, quam Lacedaemonii Cleombroto duce ibi acceperunt contra Thebanos Epaminonda duce Ol. 102. 2. [57]). Sita erant Leuctra in colle non admodum edito, ex quo fons profluit in planitiem adjacentem, meridiem versus contentam collibus pari altitudine. Quae quidem loci natura cum ea congruit, quam Xenophon in exponenda Leuctrica pugna describit [58]). In meridiano quod modo dixi, jugo nunc tres vici positi sunt, quibus Parapungia nomen, indeque propinquus est despectus in campum, in quo proelium factum est [59]). Leuctrorum vero ruinas aegre nunc reperies, solo fere plane aequatas; unde factum est, ut quidam existimaverint, Leuctrorum memoriam adhuc servari parvulo vico vicino, qui „Levka“ nunc dicitur; at eam opinionem recte Ross l. c. videtur refutare, dicens hunc locum ita appellatum esse propter nonnullas albas populos *(λεῦκαι)*, quae ibi sunt. Aliud Thespiensium oppidulum, Leuctris finitimum Eutresis fuit, insigne templo Apollinis Eutresitae et oraculo [60]). Illic Strabone teste Amphionem et Zethum habitasse, priusquam Thebarum regnum nanciscerentur, fama erat [61]). Muros dirutos vero ejus oppiduli ex antiquitate reliquos Gell praeteriisse se opinatur, qua via Leuctris Thisben profectus est [62]).

---

52) Apollodor. Bibl. III. 4. 3. Diodorus IV. 2. (248) censet Nysam, ubi a Nymphis Dionysus educatus sit, inter Phoeniciam et Nilum esse sitam. Cf. Hom. hym. in Dion. No. 26. v. 8. et Herod. II. 146, qui Nysam in Aethiopiam transfert.

53) Eurip. Bacch. v. 556.

54) Anacreon. cf. Schneidewin del. poët. eleg. gr. p. 372.

55) Stat. Theb. VII. 261. „. . . . consertissima lucis Nysa . . . . cf. Eurip. verba *Νύσας θηροτρόφου* l. c.

56) Strab. IX. 414. c. 2. 39. Ross. K. R. I. p. 18. Id tamen oppidum coloniam deduxisse fertur in Messeniam eodem nomine. cf. Strab. VIII. 360. c. 4. §. 4.

57) Pausan. VIII. 27. 6. (756). cf. IX. 14. 1. (738).

58) Xenoph. Hell. VI. 4. 4. ss.

59) Ross. K. R. I. p. 19. W. Gell. Itin. p. 113.

60) Eustath. ad Il. *β*. p. 268. 3. Stephan. Byz. s. v. *Εὔτρησις· κεῖται δὲ παρὰ τὴν ὁδὸν τὴν ἐκ Θεσπιῶν εἰς Πλαταιὰς ἀπάγουσαν, ἣν ἐτείχισε Ζῆθος καὶ Ἀμφίων ... καὶ ἱερὸν αὐτοῦ* (Apollinis) *καὶ μαντεῖον ἐνδοξότατον.*

61) Str. IX. 411. c. 2. §. 28.

62) Gell. Itin. p. 114.

Meridiem versus ex illo loco non longe progressus Creusim sive Creusam [63]) pervenis. Quamvis Pausanias praeter Bacchi signum ex gypso factum et coloribus ornatum nihil memorabile ibi se invenisse narret et perhibeat, portum ejus oppidi propter ventos vehementius ex montibus flantes minus idoneum esse ex Peloponneso venientibus [64]), tamen haud dubie oppidum frequens et portus magni momenti fuit. Quum enim iter, quod ex Boeotia in Megaridem ad Cithaeronis declivia juga secundum mare ducit, nimis angustum et impeditum periculosumque sit, eoque intercluso transiri ibi omnino non possit, omnes, qui in Boeotiam aut ex Boeotia traducendi erant [65]), Creusim convenerunt aut inde discesserunt navibus. Quibus ex rebus cognoscitur eo in oppido concursum magnum et portum haud parvi momenti fuisse. Neque tamen Scylax in „periplo" ut inscribitur, in enumerandis oppidis mare adjacentibus illius ullam facit mentionem, sed *λιμὴν Εὔτρητος* commemoratur.

Atqui nusquam apud alios scriptores hoc nomen invenies, et quum Eutresis proxime a mari abfuerit et nimia nominum similitudo intercedat, fortasse illa vox *Εὔτρητος* perversa est, et male sese habens mutanda; et recte fortasse legitur *λιμὴν Εὐτρήσεως*, ita ut Creusis, Eutresi oppido proxima, significetur. Nunc in isto sinu Corinthiaco Livadostro oppidulum positum est, etiam atque etiam efflorescens [66]). In confinio vero Thespiensium et Megarensium *Τεῖχος Βοιωτῶν*, ut est apud Scylacem, fuisse recte opinantur. Quod *τεῖχος* sine dubio tale fuit castellum, qualia compluria Miltiades [67]), quum coloniam Atheniensium in Chersonesum Thracicam deduxisset, ad tuendos agros oppidaque idoneis in locis exstruenda curaverat. At bello Peloponnesiaco et posterioribus temporibus nullius momenti vel plane eversum ignotumque fuisse videtur, quum facillime Boeoti illic hostes a transitu ex Megaride prohibere potuissent et Thucydides atque Xenophon tale vix silentio praetermisissent in explicandis rebus gestis. Jam vero Creuside relicta Pausania duce oram Boeotiae in occasum solis versus legentibus primum occurrit mons, mari imminens (haud dubie is, cui nunc Korombile, ut supra demonstratum est, nomen). Quo monte superato planities te excipiet, ultra quam in alio monte sub Helicone Thisbe conspicitur. Tum Pausanias ita pergit [68]): *Παραπλέοντι δὲ αὐτόθι, πόλισμά ἐστιν οὐ μέγα ἐπὶ θαλάσσῃ Τῖφα.* Vehimur autem cum Pausania ita, ut Thisbe nobis ad dextram posita sit; atque si praetervehimur ea loca, quae inter Thisbam et mare sunt, necesse est nunc quoque in occasum solis versus tendamus, et Tipha vel Siphae (ut alii scribunt) positae sint in loco quodam, ad quem pervenies, si a Thisbe meridiem versus in aggere, quem supra commemoravimus, iter converteris. Atque equidem opinor Siphas fuisse sitas, quo loco portus recenti nomine Lusa (port Lousa, ut est in tabul. geogr. Parisiens.) retractus est in sinu, quem nunc appellant ex oppido vel vico Dombrena. Adducor vero ad hanc opinionem, Pausaniam, gravem auctorem, quam diligentissime sequutus, et quod ille vetus agger validum ac firmum iter per planitiem paludosam inter Thisben et mare praebens ad hunc portum ducit. Itaque non probare me fateor, quod in tabulis geogr. vel novissimis Siphae positae sunt sub ipso monte, Korombile quem vocant; Pausaniae enim huc tendenti ab ora Thisbae finituma renavigandum fuisset; qua de re nihil legitur.

---

63) Strab. IX. 405. c. 2. §. 14.—409. c. 2. §. 25. Pausan. IX. 32. 1. (773). Stephan. Byz. s. v. *Κρεῦσις.* Liv. XXXVI. 21. Is (Cato) a Creusa (Thespiensium emporium est, in intimo sinu Corinthiaco retractum) Patras Achajae petit.

64) Pausan. l. c.

65) Xenoph. Hellen. V. 4. 60.

66) W. Gell. Itin. p. 113. Ross. K. R. I. p. 19.

67) Corn. Nep. Milt. c. 2. cf. *Λευκὸν τεῖχος* ap. Thucyd. I. 104.

68) Pausan. IX. 32. 3. (774). Thucyd. IV. 76. *αἱ δὲ Σῖφαι εἰσὶ τῆς Θεσπικῆς γῆς ἐν τῷ Κρισαίῳ κόλπῳ ἐπιθαλασσίδιον.* cf. Stephan. Byz. s. v. *Σῖφαι.* Apud Pausaniam legitur *Τῖφα,* forma Boeotica sive Aeolica.

Ceterum Siphae insignes fuere Herculis fano et festis sacris unoquoque anno in hujus dei honorem celebratis [69]). Incolae magnam rerum maritimarum peritiam ac scientiam sibi vindicaverunt, demonstrantes hujus oppidi civem fuisse Tiphyn, Argus, clarissimae navis, gubernatorem, eamque itinere a Colchide feliciter confecto prope Siphas appulisse. Quae quum ita sint, et quum a Stephano Byz. [70]) eadem narratio referatur, quo loco de Aphormio Thespiensium loquitur, hunc *τόπον Θεσπιέων Ἀφόρμιον* esse eundem cum portu Sipharum censeo. Etiam apud Plinium de Siphis oppido mentio fit, sed loco, ut videtur, valde corrupto. Qui scriptor, postquam Phocidis oppida enumeravit, ita pergit: „Dein in intimo sinu angulus Boeotiae adluitur cum oppidis Siphis, Thebis, quae Corsicae cognominatae sunt, juxta Heliconem.“ Sic in plerisque libris legebatur; etsi vero Sillig in editione sua egregia recte emendavisse videatur, voce „Corsicae“ mutata in „Corsiae,“ attamen non multo plus lucis huic loco affertur. Quid enim Thebae prope Siphas? Quid sibi vult istud „cognominatae“? Nam certe nemo scriptorum, si aliae praeter illas claras Thebae in Boeotia fuissent, silentio eas praetermisisset. Sed utut ista sese habent, audimus praeterea de Corsiis oppido, cui bene conveniunt, quae Plinius addit „juxta Heliconem“ et „in intimo sinu angulus Boeotiae adluitur“. Invenimus enim hoc oppidum commemoratum a Scylace quoque in „periplo“ [71]). Praeterea Corsias trium urbium unam fuisse [72]), quas Phocenses aliquamdiu in Boeotia possedissent, produnt. Fortasse veteris oppidi memoria etiamnunc conservatur nomine „Kostia“ sive „Chosia“ [73]), vici recentis. Quibus ex locis longius progressus in Phocidem pervenis, in cujus littore primum occurrit Bulis oppidum LXXX stadia a Thisbe distans [74]). Haud multum inde abfuisse opinor Mychum, quem portum Strabo [75]) ultimum Phocidis dicit, Heliconi subjectum.

Omnis Boeotia maxime excelluit fertilitate et omnium rerum, quae ad victum pertinent, abundantia. Arva Aonia inter Thebas et Hylicum lacum patentia feracissima erant tritici [76]), Thebae fructuum [77]); Copae vero maxime laudabantur propter anguillas [78]) quae in Copaide lacu captae Athenas portabantur ibique in rebus delicatissimis habebantur. Omnino autem miratione afficimur cognoscentes ex Aristophanis fabula, quae „Acharnes“ inscribitur, de tot carnibus, avibus feris, piscibus, tot opsoniis, radicibus, herbis, aliis delicatis rebus, quas poëta Boeotum quendam Athenis venumdantem facit. Thespiarum vero ager, etiamsi fertilitate minime carebat, tamen nulla re eximie praestabat, nisi huc referas, quae supra memorata sunt de herbis Heliconis montis, in quibus nullae mortiferae reperiantur Pausania teste, et de arborum silvestrium atque

---

69) Pausan. IX. 32. 3. (774).

70) Stephan. Byz. s. v. *Ἀφόρμιον τόπος Θεσπιέων· Ἀφροδίσιος ἤτοι Εὐφήμιος ἐν τῷ περὶ τῆς πατρίδος, ὅθεν καὶ τὸν κυβερνήσαντα τὴν ναῦν τὴν Ἀργὼ Τίφυν γενέσθαι· καὶ λόγος παρ' ἡμῶν τῆς νεὼς ἀφορμισάσης ἐντεῦθεν μετὰ τῶν ἀριστέων, ἀφ' οὗπερ ἀνέπλευσεν ἡ ναῦς ....* — Plin. Hist. nat. IV. 3.

71) Scyl. Peripl. §. 38. p. 15. ed. Klausen. *Μετὰ δὲ Φωκεῖς Βοιωτοί εἰσιν ἔθνος καὶ πόλεις αἵδε· Κορσιαὶ, Σίφαι καὶ λιμὴν Εὐτρή[τος]σεως καὶ τεῖχος Βοιωτῶν.* cf. Theopomp. apud Harpocrat.: *Κορσίαι. πόλις ἐστὶ τῆς Βοιωτίας Κορσίαι, ὡς Θεόπομπος ἐν τῇ τριακοστῇ.* Apud Pausaniam Corsea *(Κορσεία)* memoratur huc non referenda, vicina ea erat Locrensibus.

72) Diodor. XVI. 58. Demosth. de fals. leg. p. 223. et 230.

73) Gell. Itin. p. 117. On the coast below the modern village of Chostia or Kostia (in Kiepertii tabul. geogr. est Chosiн) is a palaio kastro.

74) Pausan. X. 37. 2. (892).

75) Strabo. IX. 409. c. 2. §. 25. 423. c. 3. §. 13.

76) Eurip. Phoen. v. 644. *πεδία .... πυροφόρ' Ἀόνων.*

77) Pindar. ap. Athen. I. 28. *Θηβαίων ἀπὸ γᾶς ἀγλαοκάρπου.*

78) Paus. IX. 24. 2. (756). Aristoph. Acharn. 846. Athenae. VII. c. 50. p. 297. Crescebant enim in miram magnitudinem anguillae erantque suavissimi saporis et Agatharchides narrat Boeotos ex anguillis Copaidibus eas, quae fuerint eximiae magnitudinis in victimarum modum coronatas inspersa mola inter preces diis immolasse.

narcissorum crebritate. Quibus idem Pausanias etiam addit, arbutorum fructus ibi longe suavissimi saporis esse[79]).

De incolis, ut pauca addam, jam supra dictum est, Graecos ceteros in bello contra Persas a Plataeensibus et Thespiensibus solis Boeotorum adjutos esse; atque postea quoque Thespienses minus Boeotorum rebus favebant, sed potius ad Atheniensium mores accedebant; iidemque Atheniensium coloni dicuntur[80]). Quamvis Thespiensibus a Boeotis vitio daretur contentionis studium (sicut talia vitia Boeoti ipsi sibi inter se objiciebant[81]), tamen eos etiam laudatos reperies a Dicaearcho[82]). Laudantur enim propter gloriae studium, et magnorum virorum memoriam (ut Orphei, Lini, Thamyridis, Hesiodi, aliorum) statuasque egregie elaboratas (in quibus fuit imprimis Cupido, Praxitelis opus, et alius Cupido Lysippi)[83]). Habemus adhuc etiam nummos Thespiacos[84]), quorum plurimi caput muliebre prae se ferunt, sed praeterea in area duae lunulae conspiciuntur aut una bicornis. Quod quid significet equidem exquirere non potui; illud caput autem Thespiae Nymphae vindicari, minime improbo, quippe quum notum sit, Nymphas haud raro urbibus nomen dedisse, praesides haberi, ideoque in nummis fictas occurrere, ut Arethusam in nummis Siculis. Neque tamen in nummis Thespiacis clipeus Boeoticus deest. Quae quum ita sint, in Thespias illud *Βοιωτία ὗς* parum apte et injuria tantum transferri posse videtur; rectius autem sese habere illud Corinnae dictum: *Θέσπια καλλιγένεθλε, φιλόξενε, μουσοφίλητε.* Jam vero postremo paucis addam, quid statuendum opiner esse de magnitudine Thespiarum et ejus civitatis incolarum numero. Nam quae Clinton[85]) hac de re affert, non recte sese habere mihi videntur. Thespienses sane florentem civitatis statum non prius consequi potuerunt, nec consequuti sunt, quam Thebanorum superbae opes a Philippo, Macedonum rege, essent fractae. Intercessit enim inter eas civitates fere perpetua discordia et inimicitia, quae Thespiis magno fuit detrimento Thebis florentibus. At harum opibus fractis Thespiarum firmari et augeri coeptae sunt opes et auctoritas, ita ut hoc oppidum posteriore tempore fuerit in potentissimis vel potentissimum oppidorum Boeotiae foedere junctorum. Neque tamen de priore illo, neque de hoc statu plura et accuratiora scimus. At fortasse aliquid erui potest ex iis, quae Herodotus lib. VII. 202. 222. et IX. 30. narrat. Qui scriptor in pugna ad Thermopylas facta septingentos apud Leonidam remansisse occisosque esse, sequente vero anno in Plataeensem pugnam exiisse mille et octingentos Thespienses tradit. Quibus ex numeris Clinton colligit Thespiensium civitatem habuisse capitum decem millia et octingenta. Hic numerus mihi aliquanto minor videtur esse. Equidem sic computo. Si eorum, qui XVIII annis majores et LX minores natu erant, tertius quisque signa secutus est contra hostem, permagnus hic erat delectus

---

79) Pausan. IX. 28. 1. (764).

80) Pausan. IX. 26. (762). Diod. Sic. IV. 29. 273. cf. Eustath. Il. β. p. 266, 6. Stephan. Byz. s. v.

81) Dicaearchi vel potius Athenaei descriptio Graeciae, in geogr. min., quos ed. Carl Müller. Paris Firmin-Didot. 1855. §. 25. *Ἱστοροῦσι δὲ οἱ Βοιωτοὶ τὰ κατ' αὐτοὺς ὑπάρχοντα ἴδια ἀκληρήματα λέγοντες ταῦτα· τὴν μὴν αἰσχροκέρδειαν κατοικεῖν ἐν Ὠρωπῷ, τὸν δὲ φθόνον ἐν Τανάγρᾳ, τὴν φιλονεικίαν ἐν Θεσπιαῖς, τὴν ὕβριν ἐν Θήβαις, τὴν πλεονεξίαν ἐν Ἀνθηδόνι, τὴν περιεργίαν ἐν Κορωνείᾳ, ἐν Πλαταιαῖς τὴν ἀλαζονείαν, τὸν πυρετὸν ἐν Ὀγχήστῳ, τὴν ἀναισθησίαν ἐν Ἁλιάρτῳ.*

82) Ibidem. Locus vero mihi non integer videtur esse. cf. Dicaearch. ed. Fuhr p. 145. et 336. Mihi legendum ibi videtur cum Holstenio ita: *αἱ γὰρ Θεσπιαὶ φιλοτιμίαν μὲν ἔχουσι, μνήμην ἀνδρῶν καὶ ἀνδριάντας εὖ πεποιημένους.*

83) Strab. IX. 410. c. 2. §. 25.

81) Eckhel II. p. 195. s. Mionet. Catal. p. 20. no. 601. Dodwell. Class. tour. I. 255. The inhabitants of which (Leuka) intilling the ground find a great many small copper-coins of Thespia. — One side has the head of a female in profile. The revers is the *χέλυς* or testudo or tortoise harp with three strings and round *ΘΕΣΠΙΕΩΝ*; all within an olive wreath. The head probably represents Thespia foundress of the town.

85) Clinton. fast. Hellen. p. 401. adnot IV.

(fuerunt igitur ejus aetatis, si ad DCC in proelio apud Thermopylas occisos et MDCCC apud Plataeas Graecis auxilium ferentes, quos Herodotus memorat, duplicem numerum addideris, VII millia et D), — et si statuerimus eodem numero fuisse XVIII annis minores natu (infantes et pueros) et annis LX majores (senes, nam quamvis sit senum minor, eo tamen major est numerus infantium puerorumque), cognoscimus illo tempore fuisse Thespiensium civium XV millia; quibus omnibus si addideris totidem muliebris sexus, numerus efficitur XXX millium; at tamen huic ne servi quidem adnumerati sunt, quorum multos veteres habuisse constat. Tot incolas (certe non pauciores [86]) si non plures) continuerunt Thespiensium fines statu minus florente, sed quantopere postero tempore aucta sit eorum civitas, nec constituere possim, nec conjicere ausim; et satis nunc de hac re dictum sit.

---

[86]) Haud dubie fuerunt plures; nam si computare velis nostra ratione delectus faciendi respecta, plane alius numerus efficiatur. Borussorum enim sunt circiter centies et sexagies centena millia; ex iis quadraginta millia militum, quem militum numerum pro magnitudine regni permagnum perhibent; jam si eum pro rata parte in Thespiensium civitatem accommodare velis, habebis numerum centum millium.